UNIVERSITY OF THE

DE POESI
GRÆCORUM SATYRICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

R. EDUARDSON MEEKS

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIII.

Prefatio.

De poesi satyrica ineunte saeculo XVII egregie scripsit Casaubonus, cuius de hac re liber ab ipso Beutleio, philologorum principe, recte est „Aureus“ appellatus. (Nos Rambachii editione usi sumus.) Sed, ut fere fit, ne a Casaubono quidem res tam accurate subtiliterque tractata erat, ut non restarent, satis multa, quae exposita velles et copiosius et vero etiam accuratius. Quare anno huius saeculi XXVI Welckerus, vir summus in libro qui inscribitur „Nachtrag zur Aeschylischen Trilogie“ rem denuo ita persecutus est, ut accuratae plenaeque illarum rerum cognitionis iaceret fundamenta. Omiserat vir egregius, quae ad apparatum scenicum ipsamque fabularum satyricarum actionem pertinent; quibus de rebus copiosissime disputavit Wieselerus „Das Satyrspiel“. Nolo hoc loco eos, qui praeter illos viros de poesi satyrica scripserunt, laudare; unum addo priore nos capite, quae natura sit atque origo illarum fabularum expositiuros, altero ipsam illius poesis historiam enarraturos. Quae de singularum fabularum argumentis deque sermone et re metrica aut constant aut coniectura statui satis probabili possunt, ea me spero mox colligere posse.

Caput I.

De poesis satyricae indole et natura.

Suum locum deberi poesi satyricae neque ad tragoediam comoediamve esse referendam ita, ut sit horum poesis generum quasi species, constat, etiamsi a Platone, Aristotele, aliis saepe duobus illis nominibus omnes poesis dramaticae species videntur comprehensae esse (Casaub. p. 86). Alii, ut Tzetzes, satyricam poesin tertiam vocant speciem. Jam quaeritur, si sua est poesi satyricae indoles ac natura, quaenam ea fuisse existimanda sit. Quae res ut accuratius cognoscatur, de origine fabulae satyricae prius sunt pauca adnotanda.

Fuerunt, qui ex dithyrambo fabulam satyricam, ex hac tragoediam dicerent ortam esse. Sic G. Hermannus praef. Cycl. p. V. sq. fabulam satyricam priorem fuisse contendit initiis tragoediae. Sed nititur illa opinio falsa loci Aristotelei (poet. IV., 17) interpretatione. Ibi cum: *ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνώθη*, Hermannus verba *ἐκ τοῦ σατυρικοῦ* ad fabulam satyricam refert ita, ut ex hac „argumentis ad seria translatis tragoediam dicat natam esse. Sed nulla profecto causa est, cur illa verba sic interpretemur, immo pertinent ad dithyrambum, ex quo orta tragoedia, paullatim magis exculta illamque gravitatem ac severitatem nacta est, quam posteriore aetate habuit (cf. Welcker App. p. 228 sq.). Itaque alia ratione explicanda est fabulae satyricae origo. Atque plerique virorum doctorum, ut Pinzgerus de fab. sat. origine p. 22, Welckerus Append. p. 276 post tragoediam inventam eam esse contendunt idque conligi posse dicunt ex proverbio illo *„οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον“*, quod Suid. s. v., Apostol. XV., 13, alii memoriae prodiderunt. Huius autem argumenti pondus ac vis eo valde minuitur, quod plures illius proverbii explicationes adferuntur. Sed

tamen inde, quod Chamaeleon in libro de Thespide scripto a Suida dicitur commemorasse, clamatum ita esse, cum in nova tragoedia festivitas Dionysiorum satyrorumque hilaritas coepta esset desiderari, haec proverbii interpretatis magnam nanciscitur probabilitatem. Recte vero Friebel. satyrogr. fr. p. 9 dicit non opus esse quemquam existimare, ipsi Thespidi illam vocem obiectam esse. Ipse igitur illud *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον* Aragicis antiquissimis saepe obstrepuisse putat, ita quidem, „ut cum Thespidis aetate glisceret populi indignatio, ea Pratinae, Choerili, Phrynichi tempore in apertum murmur erumperet.“ Sane aliquid certe temporis inter tragoediam fabulamque satyricam inventam fuisse verisimile est neque vero multum, quia fere aequalis fuit Thespidi Pratinas. Hunc enim nunc omnes putant esse fabulae satyricae auctorem (Welcker p. 276, Friebel p. 9 sq.). Neque enim ulla caussa est, cur quae Suidas aperte testatur, falsa esse existimemus. Sed hanc rem, cum postea ea nobis fusius explicanda sit in historia poesis satyricae enarranda, nunc mittamus. Verisimile igitur videtur post tragoediam inventam esse fabulam satyricam eamque opinionem firmare videtur Horatius A. P. v. 220 sq.

„Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum
Etiam agrestes satyros nudavit“;

quo ex loco ni fallor id conligi potest, tragoediam priorem fuisse initiis fabulae satyricae. Itaque cum obsequi vellent poetae populi voluntati, novum invenuerunt poesis genus, tragici argumenti tractationi chorum satyrorum addentes (Pinzger p. 22). Neque vero inconsulto putandus est Pratinas coniunxisse veterem chorum dithyrambicum cum novae tragoediae argumento, sed argumenta ita eligebantur, ut cum choro satyrorum quam maxime congruerent. Neque cum dithyrambo nova fabula comparari potest. — (Welcker p. 327). Fuit sane in satyrica poesi, ut in dithyrambo, saltandi quaedam ratio liberior, sed cum alia videntur in

hoc novo genere mutata et expolita esse, tum res, prout in tragoedia fiebat, agebantur; maximeque eo fabula satyrica a dithyrambo differebat, quod in ea personae tragicae, di, heroes, reges in scaenam inducebantur satyrisque agrestibus opponebantur.

A tragoedia quoque satis diversa fuit fabula satyrica v. Welcker p. 331. Eustathius quidem ad Il. p. 1850 R. mediam dicit esse poesin satyricam inter tragoediam et comoediam eumque cum alii, tum Casaubonus sequitur p. 90. Sed ita cavendum est ne illa verba interpretemur, ut illam ex duobus his generibus nullo consilio mixtam et compositam esse putemus. Welcker l. l. p. 331 unice probat Demetrii rationem (de eloc. 169), qua is satyricam fabulam nominat *παίσουσαν τραγῳδίαν*. Atque recte dixit Demetrius in universum. Nam plurimarum eiusmodi fabularum argumenta, si satyros abesse fingis, ad tragoediam prope accedunt. Neque enim personae ceterae quae inducebantur, tragicam dignitatem prorsus exuebant, quod vel ex Horatii loco A. P. v. 220 sq. imprimis 228 sq. intelligitur, ubi di heroesque veterem gravitatem servare dicuntur neque tamen nimiam severitatem, cum vulgaria vitent, adfectare. Sed cum adderentur satyri, *γένος οὐτιδανῶν σατύρων καὶ ἀμηχανοέργων* (cf. Hor. l. l. v. 233 satyris protervis), qui nesciebant serii esse, fieri non poterat, quin tota fabula hilaritate quadam natura et ineunda perfunderetur. Nam illa astutia, illa in agendo et in omnibus rebus inconstantia, illa timiditas, illa libido, qualis in satyris conspiciebatur, omnes hae res quam maxime spectantium animos delectabant; hae res fecerunt, ut a tragoedia fabula satyrica prorsus differre videretur. Itaque alia prorsus ratio fuit chori satyrici atque tragici. Aberat ab illo omnis misericordia, omnis sententiarum sublimitas, omnis recti venustique sensus. Qua re fiebat, ut tragicae quoque personae, quae in scaenam introducebantur, satyrorum iocis lascivaque petulantia commoti aliquid de

sua gravitate remitterent! Tzetzes prolegg. in Lycophr. p. 255 sq. haec dicit: *τὴν δὲ τραγῳδίαν καὶ τοὺς σατύρους ἐπίσης μὲν ἔχειν χορευτὰς ιά, διαφέρειν δὲ πρὸς ἀλλήλους, ὅτι ἡ μὲν τραγῳδία θρήνους μόνον ἔχει καὶ οἰμωγάς, ἡ δὲ σατυρικὴ ποίησις συγκιρνᾷ ταῖς ὀλοφύρσεσιν ἱλαρότητα καὶ ἀπὸ δακρύων εἰς χαρὰν καταντᾶν εἴωθεν.* Similia dicit Origines. Haec autem non recte dicta esse Welcker p. 329 contendit. Rectissime enim monet abesse a poesi satyrica omnes querelas atque lacrimas; nam si mala varia atque adeo neces quarundam personarum in illis fabulis proponuntur, sunt illae personae tales, ut earum mala atque interitus non modo non querelas et misericordiam, sed hilaritatem risumque moveant. Huc pertinent e. c. Amycus, Cercyon, Sciron, Cyclops, Syleus, Busiris, Autolycus (cf. Diom. p. 488, 7 Latina Atellana a Graeca satyrica differt, quod in satyrica fere satyrorum personae inducuntur aut si quae sunt ridiculae similes satyris, Autolycus, Busiris), alii. Casaubonus p. 93 personas fabularum satyricarum praeter chorum vel plane easdem atque tragoediae vel etiam maioris dignationis, admirationis et „*τερατείας*“ fuisse dicit, ut centauros, Cyclopes, et e deis aliquos nonnunquam. Quam sententiam iam Welcker p. 329 probabiliter redarguit. Neque enim centauri, Cyclopes, alia id genus monstra, (reges, heroes) putanda sunt admirationem stuporemque spectantibus movisse, sed ita inducebantur, ut risum quam maxime excitarent. Fuerunt autem haud paucarum fabularum argumenta talia, ut iam per se hilaritatem moverent v. Welcker p. 328.

Jam sequitur, ut, quomodo a comoedia differat poesis satyrica, dicamus (v. Welcker p. 334, Casaubonus p. 94) propter risum ac iocos et lasciviam merito satyricam comoediae quam tragoediae propiorem vulgo haberi dicit. Sane rident satyri, iocantur, lasciviunt, et tamen satyrica fabula a comoedia maxime differt. Nam primum comoediae argumentum non

ex veteribus de dis heroibusque narrationibus petebatur,*) sed ex ipsa vita humana, sed a poeta fingebatur. Deinde aliud est ioci genus satyricum, aliud comicum. Nam in comoedia consulto res ac personae inluduntur, in poesi satyrica satyri iocantur quidem, sed nullo consilio; nam ipsi se iocari nesciunt. Itaque cum consilium desit, ne cum parodia quidem comparari fabula satyrica potest. Welcker autem p. 335 aliud quoque addit, quo comoedia et poesis satyrica inter se differant; nam in illa homines eo consilio perstringi atque inludi, ut ad meliorem frugem redeant; in hac non item, quamquam interdum inveniantur in illis fabulis sententiae ad vitam moresque emendandos pertinentes; nam quam exiguam illae vim habuerint in animos audientium facile intellegi posse. Verbo monuisse satis habeo a Diomede p. 448, 7 (g.) atque Mar. Victor. p. 2527 fabulas satyricas cum Atellanis comparari (v. Welcker p. 334).

Jam placet accuratius, quam huc usque facere nobis licuit, quaenam argumenta in fabulis eiusmodi reperiantur tractata, exponere. Atque in universum constat eas plerumque in argumentis levioribus et per se ad hilaritatem excitandam aptis solitas esse versari. Atque ex Homerica et omnino ex epica poesi, cum non liceret poetis heroes, qui in carminibus epicis celebrabantur, risui tradere satyrorum, praeter Ulxis versutiam, cyclopem, Circen, nulla videntur poetae petivisse argumenta. Nulla autem, quantum scimus, fabula satyrica ad cyclum Troicum aut Thebanum pertinet. Quae res ita explicari potest, ut Welcker p. 331 eumque secutus Friebel p. 13 fecerunt, qui monent genus satyricum plerumque versatum esse in populi narrationibus. Itaque haud paucae versabantur in fabulis de hominibus violentis et immanibus partim Graecis partim barbaris, quorum Hercules Theseus, alii facti sunt vindices. Atque hoc fabulae satyricae genus

*) Neque tragoedia neque fabula satyrica ab his discedere poterat. Aristot. Poet. 14. — Welcker p. 333.

per totum illud tempus, quo floruit aut fuit saltem poesis satyrica, in deliciis fuisse ostendunt perditarum fabularum nomina et fragmenta. Atque casu factum est, ut nobis ex hoc genere una integra servaretur. Plurimae autem (Welcker p. 318) fabulae ad Herculem spectabant usque vagum, voracem atque bibacem, sed sunt earum duo genera statuenda, quia in nonnullis fabulis primariis, in nonnullis secundariis fungitur partibus, ut in eis, ubi monstra hominesque perniciosos interficit. Praeterea mythi Dionysiaci reperiuntur tractati (v. Welcker p. 296). A Sophocle autem potissimum aliud genus institutum est fabularum (v. Welcker p. 304; Friebel p. 15), in quo iuvenilis pulchritudo satyrorum admirationem cupiditatemque excitabat. Huc Helenae nuptiae, Achillis amatores, aliae fabulae pertinent. Deinde di ipsi et personae allegoricae introductae reperiuntur, ut ex nominibus nonnullis intellegitur (cf. Aristiae *Κῆρες* Achaei *Μοῖραι* al.). Postremo heroes, principes, sacerdotes satyrorum iocis atque risui obiecti sunt (W. p. 315). Ut vero poesis satyricae indoles ac natura plene intellegatur, de eis accuratius nunc disputandum est, a quibus ipsa illa poesis nomen accepit, de satyris. Deinde quae ad exteriorem, ut ita dicam, fabularum illarum formam pertinere videbuntur, adiciam.

Satyros autem, ex quibus chorum satyricarum fabularum fuisse compositum scimus, notum est fuisse (Dionysi) Bacchi comites. Hi igitur in silvis montibusque habitabant, venabantur, pecora pascebant, cum Baccho bacchabantur, genio bibendo escandoque indulgebant. Sunt autem semper inexplebili quadam libidine incitati habentque etiam in ipso corporis habitu quaedam, quae eis sunt cum bestiis communia. Cum autem aliis temporibus aliae res eiusmodi eis tributae sint, quaeritur, quales in fabulis satyricis fuisse existimandi sint. Atque in hac re cum ex nonnullis fabularum reliquiis tum ex veterum scriptorum, imprimis Pollucis, artisque monumentorum testimoniis quaedam ad quaestionem propo-

sitam inlustrandam possunt peti. Atque hoc loco etiam de Sileno qualis in fabulis satyricis in scaenam introducebatur, dicendum est. Atque Prellerus Mythol. Gr. I. p. 573 in illis fabulis hoc dicit usu venire, ut sit Silenus satyrorum natu maximus. Certe in Cyclope Euripidis eam rationem valere videmus. In fabulis autem satyricis, quamquam plura Silenorum genera introducta esse apparet ex Xenoph. Symp. IV. 10 et Poll. IV. 118: *καὶ χορεαῖος, χιτὼν δασὺς ὃν οἱ Σειληνοὶ φοροῦσιν*, tamen unum praecipue in scaenam prodisse eoque nomine appellatum esse verisimile est, *Σειληνὸν πάππον* (Poll. IV. 132), satyrorum parentem (cf. Cycl. Eur. v. 269 et 271; Lycophr. v. 1). De hoc autem Silenopappo Casaub. p. 104 haec dicit: Papposilenum vultum concinnabant a longaevitate horribiliorem et prope ferinum. Hoc autem conligit ex Poll. loco IV. 132, ubi satyricae personae enumerantur: *σατυρικὰ δὲ πρόσωπα σάτυρος πολιός, σάτυρος γενειῶν, σάτυρος ἀγένειος, Σειληνὸς πάππος, τἆλλα ὅμοια τὰ πρόσωπα πλὴν ὅσοις ἐκ τῶν ὀνομάτων αἱ παραλλαγαὶ δηλοῦνται, ὥσπερ καὶ ὁ πάππος Σειληνὸς τὴν ἰδέαν ἐστι θηριωδέστερος.* Ex toto autem loco apparet Pollucem de persona tantum, non de toto corpore loqui (cf. Wieseler Goett. Stud. 1847, p. 699). Neque tamen negandum est horribiliorem illum Silenum qualem in monumentis conspicimus, plerumque Silenopappum esse. Pertinet huc locus Pollucis IV. 118 ubi de vestimentis satyricis sermo est: *ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρὶς, αἰγῆ, ἣν καὶ ἰξαλῆν ἐκάλουν καὶ τραγῆν, καί που καὶ παρδαλῆ ὑφασμένη, καὶ τὸ θήραιον τὸ Διονυσιακὸν, καὶ χλανὶς ἀνθινὴ καὶ φοινικοῦν ἱμάτιον, καὶ χορταῖος, χιτὼν δασὺς, ὃν οἱ Σειληνοὶ φοροῦσιν.* Ac pelle pantherina Silenus indutus conspicitur in illo vase, de quo Wieseler scripsit, ita ut suspicari liceat cum nonnunquam tantum ea pelle usos esse Pollux ipse dicat, ad Silenum potissimum esse referendam. Vestimento ex floribus facto Silenum non usum esse Wieseler p. 714 contra Casaubonum p. 107 et

Müller (Etrusc. II. p. 215) contendit et ut mihi videtur, probabiliter demonstravit. Ad ipsum igitur Silenum Pollux refert *χορταῖον*, *χιτῶνα δασὺν*, quae est vestis ad genua usque defluens et ad genus vestimentorum ex pellibus villosis factorum pertinent, de quibus Pollux (Wieseler p. 661) loquitur VII. 70. Praeterea Silenus indutus conspicitur *ἀναξυρίσιν*, de quibus Wieseler disputat p. 661, 672, 681. Sunt autem ex pellibus villosis caprarum oviumque aut ex alia materia factae. Praeterea Sileni persona fere barbata est (Wiesel. p. 632). In vase illo hedera quoque et stephane ornatus est Silenus. Manibus autem baculum, pedum thyrsumve gestabat; in Cyclope Euripidia *σιδηρᾶν ἁρπάγην* gestat (v. 33). Fuit autem, ut satyri, partibus praeditus bestiarum; equi, tauri, capri, asini. Ab equo maxime laudam sumptam videmus (Philostr. Sm. I. 22 *τὸ ἐπὶ τὰ οὐραῖα ἵππου*) Welck. p. 217, sed nomumquam etiam pedes (Gerh. A. V. I. 184), aures (O. Jahnius Vas. p. 10), a bove cornua pedesque, a capro asinoque aures. Fuit etiam toto corpore capillatus (Prell. l. l. p. 578; Müller Arch. §. 386, 5; Wiesel. p. 685 sq.). Jam si quaerimus, Silenus num ad chorum an ad histriones pertineat, recte Wieselerus p. 590 ad histriones eum pertinere dicit adnotatque idem conligendum esse ex Hor. A. P. 239, ubi „Custos famulusque dei (Bacchi) Silenus alumni“ cum Davo et Pythia qui histriones fuerint, coniungatur. Atque in Cyclope quoque Silenus necessario ad histriones est referendus, quod fabulam perlegenti non potest dubium esse.

Jam ad satyros ipsos transeamus. Atque primum cum Silenus ad histriones pertineat, sitque is a Polluce IV. 132 cum *σατύρῳ πολιῷ* cet. compositus, verisimile est etiam satyros histriones esse potuisse. Wiesel. p. 594. Sed hoc videtur certe non usitatum fuisse.

Personae igitur nominatae reperiuntur a Polluce l. l. *σάτυρος πολίος*, *σάτυρος γενειῶν*, *σάτυρος ἀγένετος*. Alia

quoque genera fuisse ex eis, quae addit Pollux, apparet. Welck. p. 337 in eis, quae omissae sint, personis *Σιμὸν* fuisse suspicatur. *Σιμοὺς* quoque videre licet in vase quo de Wiesel. scripsit; praeterea aures caprinas*) (Wies. p. 717) horrentes capillos (*προσθίαν τρίχα* Achaeus ap. Ath. XV. p. 690b; Etym. M. p. 764, 9), barbas. Atque barbae eo magis debebant propriae esse satyrorum, quia capri esse fingebantur (Leon. Tar. A. P. IX. 99 *ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις*). Summus autem capillus in fronte atque ipsa persona rubrum quendam colorem referebat (Wiesel. p. 717), quare Wiesel. l. l. cum hac re haud inepte comparat *Σκίρτον τὸν πυρρογένειον*, qui commemoratur ab Dioscoride in epigr. A. P. VII. 707, v. 3.

Jam de vestimento satyrorum dicendum est. Atque locum Pollucis, quem supra p. 10 memoravi (IV. 118) Wieseler ita explicavit, ut eum pertinere tantum ad eos satyros, qui non fuissent chori satyri, contenderet (p. 651 sq.). Atque hoc eo magis dicit esse probabile, quod de subligaculo, quo quantum ex artis monumentorum testimoniis intellegatur, semper fuerint ornati ei qui ad chorum pertinuerint satyri, nihil omnino Pollux dicat. Mirum sane est quod subligaculum omnino non commemoratur. Accedit quod eis satyris, ex quibus constabat chorus, praeter subligaculum nullum videtur fuisse vestimentum; cf. Hor. A. P. 220 sq.:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum
Mox etiam agrestes satyros nudavit.

Itaque *γυμνῆται ὀρχησταὶ* vocantur satyri a Luciano Bacch. 3. Atque Welcker p. 336 praeter pellem caprinam satyros prorsus nudos in scaenam prodisse Horatium secutus contendit. Hanc vero sententiam Wieseler iam refutavit p. 722 ex loco Dionysii (VII. 72) ubi *σκευαὶ τοῖς εἰς σατύρους εἰκασθεῖσιν* nominantur *περιζώματα καὶ κεφαλαῖς φόβαι καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια*. Praeterea in ipso illo vase, quod ex-

*) Itaque *τράγοι* vocantur, *διὰ τὸ τράγων ὦτα ἔχειν*. Hesych. sic Aesch. fr. 202 satyrus *τράγος* appellatur.

plicavit Wieseler, unus ex satyris chori, qui subligaculo expanno facto ornatus est, amiculo quodam est insuper indutus. Hanc autem vestem satyri illi putandi sunt ante saltationem exuisse, ut in (trago) comoedia quoque factum est (Wiesel. p. 742). Sed omnes satyri, qui ad chorum pertinebant an nonnulli tantum tunica quoque (*χιτῶνι*), qualem in uno satyro reperimus, induti in saltando fuerint, prorsus ad liquidum perduci non potest. Illud non videtur dubium esse, quin praeter subligaculum tunicamque, si modo ea induti erant, numquam prorsus nudi in scaenam introducti sint (Wiesel. p. 744; primus G. Hermannus contra Welckerum monuit cf. W. App. p. 57 sq.). Nam iam per se minime videtur probabile, quandam corporis partem nudam apparuisse. Itaque Wiesel. sententiam quam is profert p. 744 sq., p. 751 prorsus probo, qui dicit et pedes et reliquam corporis partem, quam caruisse vestimento voluit (Wieseler) Welcker, *ἀναξυρίσιν* tectam fuisse unde mox nata suit vestimenta quaedam texta corporis illas partes arte cingentia. Horum autem loco veteres interdum coloribus usos esse, certe antequam suit illa inventa, sed postea quoque videtur verisimile. In Cyclope Euripidea (v. 80) commemoratur satyrorum chori vestimentum *τράγου χλαῖνα*. Non autem posse illam vestem, quae tunicae superindui solebat, hoc loco intellegi, cum ea nunquam in saltando usi sint veteres in choris fabularum, demonstrat Wiesel. p. 723. Itaque verisimile est intellegendum esse chori satyrorum *περίζωμα*.

Vestimentum autem satyrorum chori non fuisse semper idem eodemque modo factum, intellegitur ex Dioscoridis epigr. A. P. VIII. 37. *Τύμβος ὅδ' ἐστ' ὤνθρωπε Σοφοκλέος ὃν παρὰ Μουσῶν ἱρὴν παρθεσίην ἱερὸς ὢν ἔλαχον.*

Ὅς με τὸν ἐκ Φλιοῦντος ἔπι τρίβολον πατέοντα
Πρίνινον ἐς χρύσεον χῆμα μεθηρμόσατο
Καὶ λεπτὴν ἐνέδυσεν ἀλουργίδα· τοῦ δὲ θάνοντος
Εὔθετον ὀρχηστὴν τῇδ' ἀνέπαυσα πόδα.

V. Wiesel. p. 725 sq. Inde patet usque ad Sophoclem satyros chori*) (nam de choro sermonem esse ostendunt verba *εὔθετον ὀρχηστὴν*) moribus et vestitu agrestes fuisse; tum vero aureo vestimento ornatos in scaenam introductos esse. *Ἀλουργὶς* autem illa videtur fuisse tunica (v. Wiesel. p. 728). De chori satyris postquam diximus, restat ut de ceteris satyris eorumque vestimentis dicamus. Nam acute ut mihi videtur Wieseler perspexit, quae apud Pollucem legerentur IV. 118 (v. supra p. 10) non tam ad chorum referenda esse quam ad ceteros fabularum satyricarum satyros, quia de subligaculo Pollux prorsus non loqueretur. Nisi forte quis putat pellem illam caprinam sic intellegi posse.**) Ac pantherinam quidem pellem textam raro adhibitam esse ex Pollucis verbis apparet eamque Sileno maxime tribui iam supra monuimus. *Αἰγῆ* vero, pellis caprina, usitatissima fuit satyrorumque ut agrestium hominum quam maxime propria (Buhnk. ad Tim. p. 231) *θήραιον* Geppertus (Altgr. B. p. 274 d. 3) generali quadam significatione accipiendum putat, ita ut universum significet pellium genus. Sed ex Polluce VII. 48 et 77 intellegitur cogitandum esse de pallio texto bestiarumque, earum fortasse quae ad Bacchi religionem pertinebant, figuris ornato (v. Schneider, Att. Theaterw. p. 166; Wiesel. p. 712). Atque Wiesel. eam Sileno vestem maxime tribuendam putat. *Χλανὶς* vero a Polluce explicatur VII. 48: *χλανὶς*, inquit, *ἱμάτιον λεπτὸν καὶ χλανίδιασκια ἐκάλουν* (v. Wiesel. p. 707). Hanc quoque vestem ad Silenum putat pertinere. Qualis autem censenda sit fuisse,

---

*) Welck. Frag. Gr. p. 1254 verba de tragoedia intellegit *ἐκ τοῦ σατυρικοῦ* orta. Sed ipse sentit restare aliquid scrupuli; nam cur de Sophocle loquitur satyrus? cur non de ipso tragoediae seriae auctore?

**) Et recte verba *αἰγῆ, ἰξαλῆ, τραγῆ* sic nos posse interpretari puto. Cf. Eurip. Cycl. v. 80, ubi ipse Wieseler *τράγου χλαῖναν* subligaculum putat fuisse. Neque tamen inde sequitur ut de choro tantum Pollux loquatur.

v. p. 714 Wieseler. In capite manibusque satyri in vase illo nihil habent ornamenti. Neque vero rem sic semper fuisse institutam conligi debet. Immo videntur plerumque et caput coronis, aliis rebus ornatum prae se tulisse et manibus thyrsum pedumve gestasse. Huius autem thyrsi duo erant genera, alterum natura, arte alterum factum, quorum hoc genus ad eum Wiesel. p. 755 refert probabiliter auctorem, quem splendidiora quoque vestimenta satyris tribuisse cognovimus (cf. Auth. P. VII. 707, v. 9). Atque haec de satyris eorumque habitu. Illas autem omnes personas, quae etiam in tragoediis locum poterant habere, heroes, deos ad tragicum potius quam satyricum apparatum pertinere iam Casaub. monuit (cf. Wies. p. 628). De his igitur non opus est nos dicere explicatius. Relinquitur, ut de numero satyrorum chori, de re musica, de saltatione satyrica deque locis, ubi res agebantur, dicamus.

Chorus autem satyricus ex quot sit personis componi solitus, nisi a Lycophrone, prol. in Lyc. p. 255 sq. et Cham. Anecd. Oxon. III. 388 nusquam traditur.

Sed veris illi falsa admiscuerunt. Nam verum est habendum, quod dicunt chorum satyricum a tragico numero non differre, idemque Bodio videtur Hist. poesi Gr. III. 1, p. 189, quamquam Bernhardyo Litt. Gr. II. 2, p. 95 Tzetzis adnotatio ut nullius momenti abicienda videtur; falsum autem prorsus est quod de ipso numero addunt. Atque Cram. A. O. l. l. errorem, quo ex sedecim personis constare chorus tragicus satyricusque dicuntur, iam O. Muellerus Mus. Rhen. V. p. 330 refutavit atque explicavit idemque atque Schneiderus p. 118 Tzetzis quoque adnotatio quomodo probabiliter emendanda esset, docuerunt. Nam pro IA legendum censent IΔ.

Hic autem numerus quomodo explicandus sit, monet Schneider l. l. Ne Wieseler quidem p. 592 sq. Tzetzis adnotationem probat, quamquam ea firmari videtur ipso illo vase, cuius in pictura chorus videtur ex 11 constare per-

sonis; nam probabiliter unam addit personam. Jam vero si constat chorum satyricum a choro tragico non differre numero, facile est de eo coniecturam facere ex veterum scriptorum hac de re testimoniis. Dicitur autem a Suid. v. *Σοφοκλῆς*: Sophocles *πρῶτος τὸν χορὸν ἐκ πεντεκαίδεκα εἰσήγαγε νέων πρότερον ιβ' εἰσιόντων*. Hinc initio ex 12, deinde ex 15 personis chorum quoque satyricum fuisse compositum intellegitur. Atque in hanc rem quadrant veterum scriptorum testimonia, modo recte ea interpreteris (Schneider. p. 118).

Instrumenta musica quae fuerint in fabula satyrica usitata, si ex pictura illius vasis conligi potest, fuerunt tibiae et lyra. Musicae vero artis saltationisque ratio non semper eadem fuit; quam inmutatam per dicursum temporis fuisse ut in tali genere poesis cum per se verisimile est, tum intellegitur ex certis veterum locis. Saltandi autem genus satyricum vocatur *σίκιννις*. Cf. Athen. XIV. p. 630: *καλεῖται ἡ μὲν σατυρικὴ ὄρχησις — σίκιννις καὶ οἱ σάτυροι σικιννισταί*. Nonnullis a *κινήσει* videri addit Ath. l. l.: *Εἰσὶ δέ τινες οἵ καί φασιτὴν σίκιννιν ποιητικῶς ὠνομάσθαι ἀπὸ τῆς κινήσεως, ἣν καὶ οἱ σάτυροι ὀρχοῦνται ταχυτάτην οὖσαν· οὐ γὰρ ἔχει πάθος, αὕτη ἡ ὄρχησις, διὸ οὐδὲ βραδύνει*. Quae vero de origine et auctore idem I. 20d. tradit, quamquam Bodius quoque l. l. p. 89 a Creta insula originem putat petendam esse, eis vereor ne nihil sit auctoritatis tribuendum, cf. praeterea Poll. IV. 99, Etym. M. p. 712, al. Ex Athenaei autem loco Casaub. p. 111 conligit illam saltationem non habuisse (*πάθος*) affectum idemque Welcker dicit p. 339, fuisse eam citatissimam, affectu carentem, iocosam (*παιγνιώδη*) additque illud significari etiam tibiis canendi modo *σικιννοτύρβη*. Wieselerus autem p. 625 num celeritas per se sit illi saltationi tribuenda, dubitat comparatisque inter se locis Athenaei p. 617c. (notissimum illud hyporchema Pratinae ibi adfertur) et l. XIV. p. 628a. et e., ubi veteres

poetae in saltationibus *τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδρῶδες* servavisse dicuntur, et epigr. Dioscoridis quod extat in Anth. Pal. VII. 707, ubi Sositheus dicitur chori usum qualis apud veteres poetas fabularum satyricarum fuerit, instaurasse (v. imprimis v. 7 et 8: *καὶ πάλιν εἰσώρμησα τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μούσῃ ῥυθμὸν, πρός τ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην* ubi *ἑλκόμενος* vox maxime notanda est, cui non obstat *εἰσώρμησα* v. Wiesel. l. l.) priore tempore non videri saltationem illam tam citatam affectuque carentem contendit. Atque huic opinioni id videtur favere, quod Hesychius v. *ἐμμέλεια* ab Aeschylo saltationem satyricam vel *ἐμμέλειας* nomine dicit appellatam esse. Sed corruptum locum puto. Neque tamen dubium ex illo hyporchemate esse potest, quin Pratinae ceterorumque poetarum propter fabulas satyricas celebratorum aetate non tam citata et quasi enervis illa ut postea fuerit, postquam harmonia quoque dorica deserta invecta est mollis illa lydia, quae Euripides, certe Agathonis aetate videtur inlata (cfr. Wieseler p. 622). Itaque verba Athenaei, quae supra attuli, ad novum illud genus saltationis videntur pertinere. Atque initio et apud priores tragicos poetas saltatio illa ni fallor iam eam ob causam minus celeris fuit, quod eidem tum et canebant et saltabant, quod alioquin facere non poterant, v. Lucian. de salt. 30; Geppert p. 253 (Altgr. B.). Veterem autem illam rationem eam esse quae *ἱερὰ* vel *ἱερατικὴ* appellata sit, probabiliter monet Wiesel. p. 626.

De scaenis fabularum satyricarum loquitur Vitruv. l. V. 8, 1: „genera autem sunt scaenarum tria, unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimili disparique ratione, quod satyricae (vero) ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus in *τοποειδῆ* speciem deformatis“. Atque hoc in nonnullis quoque fabulis iam nunc videre licet, ut in Cyclope Eurip. (v. v. 20: *Αἰτνεία πέτρα* prope adesse fingitur, v. 83, 87 *ἄντρα* comm.). —

Caput II.

Enarratur poesis satyricae historia.*)

Postquam, quae esset poesis satyricae indoles ac natura, exposuimus iam transitum faciamus ad ipsam illius poesis historiam accuratius enarrandam. Atque ut iam supra monuimus, nihil obstat, quominus probemus, quod Suid. v. *Πρατίνας* monet, Pratinam primum satyros i. e. fabulas satyricas scripsisse. Neque enim ostendi potest, quod Beutleius Opusc. p. 281 contendit, Thespidem fuisse revera auctorem, sed nihil scriptum reliquisse, Pratinam primum scripto mandavisse. Est autem illa opinio, Thespidem fuisse fabularum satyricarum auctorem inde orta, quod proverbium illud *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον* ad hunc potissimum pertinere putabantur (v. p. 5). Sed si in eodem Chamaeleontis de Thespide libro (v. Suid. *οὐδὲν* etc.) hic nominatus fuit inventor illius generis, cur non s. v. *Θέσπις* idem tradidit Suidas, cur non hoc addidit ibi, ubi de Pratina loquitur (Friebel p. 10)? Praeter Suidam autem Acro quoque ad Horat. A. P. v. 230 ad Pratinam auctorem referendam esse illius generis fabularum originem tradit. (Nam pro inepto „Cratini" vocabulo Casaub. p. 121 recte restituit Pratinae".)

Quando natus sit mortuusve Pratinas nescimus, nisi quod circa olympiadem septuagesimam floruisse ab Eusebio, eadem olympiade cum Aeschylo certasse a Suida dicitur.

Quod certamen eo est memorabile, quod tunc primum tetralogiis certare poetae inceperunt et quod tabulata, in quibus stabant spectatores, conciderunt. Num autem Pratinas quoque et Thesp., Choerilus, quibuscum tum Aeschylus certavit, tetralogiis certaverint, certo statui non potest. Certe

*) Magnopere doleo, quod Ottonis Jahni, de Theseo, Hercule deque fabula satyrica commentationem Philol. vol. 27 insertam legere mihi non licuit.

ante illud tempus videtur vel solas satyricas fabulas docuisse (Pinzger de dram. sat. gr. orig. p. 25). Nam aliter non potest intellegi, quomodo ex 50 eius fabulis 32 fuisse satyricas Suidas dixerit. Neque vero ideo mutandus est numerus, quod fecit Boeckh. gr. Frag. princip. p. 125, cum duodecim tantum satyricas fabulas ab eo diceret compositas esse. Nam neque probari potest neque verum esse Pratinam semper tetralogiis certavisse. Verisimillimum est enim eum haud paucis annis ante Aeschylum fabulas docuisse. C. Fr. Hermannus autem (Phil. III. p. 509) nullam omnino tetralogiam ab eo actam esse contendit, cum ne Aristiae quidem ulla tetralogia commemoretur. Sed vix verisimile est quod dicit Pratinae aetate fabulas satyricas altero tanto longiores fuisse eamque ob causam in argumento Promethei Aeschyliae duas tantum tragoedias cum *Παλαισταῖς σατυρικοῖς* coniunctas fuisse. Id autem cum dicit ipse tacite concedit praeterea semper tetralogiis certatum esse ideoque etiam Aristiam Pratinae filium huic mori obsecutum esse. Quid autem facilius quam intercidisse statuere nomen aliquod tragoediae, quod fecerunt et alii et probat Bernhardius Litt. gr. hist. II. p. 12? Praeterea antecessisse fabulam satyricam tragoediae apud Pratinam, cum coniunctae agebantur, idem Herm. p. 508 contendit. Ipse quoque Welckerus App. p. 279 initio fabulam satyricam ante tragoediam actam esse concludit ex Zenobii loco V. 40: *διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προεισάγειν, ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ.* Sed haec interpretatio mihi quidem non videtur probanda. Nam voce *ὕστερον* indicatur non esse de primordiis fabulae satyricae sermonem, sed de posteriore quadam aetate, intellegique tetralogiarum usum ab Aeschylo institutarum; quare cum praeterea nihil eiusmodi tradatur sitque ea, quam G. Hermannus in censura libri Welckeriani (Ephem. Litt. Lips. 1827, n. 15) proponit, coniectura quam maxime proclivis, *προσεισάγειν* censeo scribendum esse, nisi cui Kayseri

illud *παρεισάγειν* magis adrideat. In medio igitur relinquamus, si cum tragoedia coniunxerit satyricam fabulam Pratinas, quo loco acta esse putanda sit. — Praestantissimum autem fabularum satyricarum poetam fuisse Pratinam tradit Pausan. II. 13, 5: *Ἐνταῦθά ἐστι καὶ Ἀριστίου μνῆμα τοῦ Πρατίνου. τούτῳ τῷ Ἀριστίᾳ σάτυροι καὶ Πρατίνᾳ τῷ πατρί εἰσι πεποιημένοι πλὴν τῶν Αἰσχύλου δοκιμώτατα.* Quae cum legimus, miramur quod non amplius semel vicisse traditur (Suid. *ἐνίκησε δὲ ἅπαξ*). Plerique autem probabiliter rem ita explicant, ut dicant eum ut alienigenam haud facile populi Atheniensium favorem sibi conciliare potuisse (Pinzg. p. 26, Friebel p. 109). Idem postea quoque accidit Achaeo. Nomina autem eius fabularum satyr. nulla veteres tradiderunt. Nam perquam dubium, num sit fabula satyrica intellegenda ap. Ath. IX. p. 392 f.: *Πρατίνας δ' ἐν Δυμαίναις ἢ Καρυάτισιν ἀδύφωνον ἰδίως καλεῖ τὸν ὄρτυγα, πλὴν εἰ μή τι παρὰ τοῖς Φλιασίοις ἢ τοῖς Λάκωσι φωνήεντες, ὡς καὶ οἱ πέρδικες,* etiamsi Bodius l. l. p. 85 eo progreditur, ut vel argumentum satyricae fabulae quale fuerit conetur ostendere. Ac Welck. App. p. 291 errare eos dicit, qui fabulam quae a choro feminarum nomen habeat satyricam putent esse potuisse eamque causam illam quoque fabulam negat fuisse satyricam. Welckerum sequitur Friebel p. 17 et 111.*) Atque etiamsi fieri poterat in tragoedia, quod G. Hermannus in praef. Cycl. p. XI dicit, ut aut duo chori introducerentur aut nomina fabularum pluralia gen. fem. non a choro ducerentur, tamen cavendum est, ne in satyrica quoque fabula id certissime factum esse putemus (nam desunt argumenta) neve hoc argumento utamur ubi nihil nos cogit de satyris cogitare.

Itaque cum certae fabularum desint reliquiae, ne statui quidem certi quidquam de earum indole potest. Illud vero non videtur dubium esse, quin et in saltando cantibusque

---

*) Quare Sophoclis *πλύντριαι* et quae sunt similes fabulae non fuerunt satyricae.

chori simplicitati studuerit et in vestimentis satyrorum id secutus sit, ut cum propria satyrorum indole ac natura ea viderentur congruere (cf. Diosc. A. P. VII. 37 et ea quae ipsi p. 15 sq. disputavimus).

Sequitur ut de Aristia, Pratinae filio, disceptetur. Prius autem tangenda est res quaedam, quam hucusque commemorare omisimus, quot tragoediarum, tot fabularum satyricarum auctores extitisse (Casaub. p. 149, Welck. App. p. 284). Itaque in eis, quae secuntur, non omnes quae a poetis illis conscriptae sunt fabulas, sed satyricas tantummodo commemorabo. Ut autem ad Aristiam redeamus, ne is quidem quando natus sit aut mortuus, constat, neque coniecturam facere licet, cum ne de Pratinae quidem aetate edocti satis simus. Hunc quoque Pausanias praestantissimum in fabulis satyricis faciendis fuisse dicit l. l. II. 13, 5. Comicus a nonnullis olim falso habebatur. Menedemus apud Diog. L. II. 133 *δευτερεῖον* ei tribuit. Sitne ab Atheniensibus honoribus ornatus, non constat; id constat a Phliasiis statua esse honoratum (Pausan. l. l. II. 13, 5): *Ἐνταῦθά ἐστι καὶ Ἀριστίου μνῆμα τοῦ Πρατίνου.* Adferuntur complures eius fabulae, sed satyricae nunquam vocantur, nisi quod „Cyclopem" satyricam fuisse fabulam inde apparet, quod qui versus ab Apostol. IV. 7 commemoratur, ei adduntur verba: *ὥς φησι Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ σατύρων.* Videtur autem haec fabula obversata esse Euripidi. Praeterea Meinckius comment. misc. I. p. 23 sq. colorem satyricum agnoscere sibi visus est in *Κηρσὶν* et *Ὀρφεῖ.* Atque *Κῆρας* nulla est causa cur mutemus scribamusque *Κρῆτας*, quod fecit Toupius probante Meinckio. Satyricam fuisse fabulam ex fragmenti natura apparet. De Orpheo Welckerus, postquam in App. p. 285 et 308 satyricam fuisse fabulam dixit, in libro de Frag. Gr. p. 966 rursus dubitare se dixit. Potuit sane Orpheus aliquo saltem modo in fabulam satyricam ita introduci, ut a Thressis exagitatus dilaceratusque propter amorem paedicum (Welck.

App. p. 318) satyrorum iocos atque risum excitaret. Sed quis negat multo aptius tale argumentum fuisse tragoediae, praesertim cum fragmentum quod Pollux servavit IX. 43 prorsus non cogat nos de fabula satyrica cogitare? Verisillimum autem est, quamquam dubitat Welck. Frag. Gr. p. 966, „Antaeum" fabulam fuisse satyricam. Is enim cum in eis haberetur, qui praetereuntibus interitum parasse dicebantur tandemque Herculis virtute interfecti, quam maxime eius cum Hercule pugna accommodata fuit ad fabulam satyricam. Constat enim illorum monstrorum interitum usitatissimum fuisse talium fabularum argumentum. Atalanta contra tragoedia fuisse videtur (cf. Welcker l. l. p. 966).

Choerilum quoque satyricas fabulas scripsisse apparet ex verbis:

Ἡνίκα μὲν βασιλεὺς Χοιρίλος ἐν Σατύροις

de quibus v. Welck. App. p. 282. Neque fragmenta earum neque nomina supersunt.

Jam commemorandus est Phrynichus, de quo v. Welck. Frag. p. 18 sq., App. p. 284. Cf. praeterea Suid. s. v. Filius dicitur Phrynichus tragicus a Suida Polyphradmonis vel Minyri, vel Melanthae. Quorum nominum Polyphradmon verum rectumque putandum est propter locum Paus. X. 31, 2. Ipse autem, ut ex Suida apparet, filium quoque habuit nomine Polyphradmona. Is igitur Phrynichus Thespidis discipulus vocatur, et invenisse traditur *γυναικεῖον πρόσωπον* et tetrametrum, quod Welck. App. p. 285 putat Erigonen et Andromedam satyricas esse potuisse, cum fragmenta desint, diiudicari nequit. Atque ipse Frag. p. 20 sq. sententiam videtur mutasse, cum Andromedam putet Phrynichi comici esse (Arist. Nub. 555). — Erigonen autem tragoediam esse potuisse.

Omnium autem praestantissimus in conponendis fabulis satyricis fuit Aeschylus (cf. Diog. Laert. II. 133; Pausan. II. 13, 5.) Hunc igitur constat primum tetralogia certasse

ita, ut tribus tragoediis argumento coniunctis adnecteretur una fabula satyrica. Atque huc referenda videri verba Zenob., quae supra attulimus, iam diximus. Sed etiamsi illa verba intacta relinquimus, non potest negari in tetralogia ultimum locum satyricas fabulas obtinuisse. Quaeritur autem, qualis fuerit eius fabularum satyricarum indoles. Atque cum, quae a veteribus scriptoribus traduntur, eo nos ducant, ut satyricam fabulam cum tragoediis agi solitam etiam tragoediae quantum ad chorum histrionesque pertineat fuisse parem statuamus, sequitur, ut quod in tragoedia Aeschylus novavit, idem in fabula satyrica novaverit. In tragoedia autem duos voluit esse histriones, chori carmina inminuit, quae antea maximam tragoediae partem explebant. Cf. Aristot. probl. XIX. 31; Arist. poet. IV. 16: *καὶ τότε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε, τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς.* Haec vero ni fallor pertinent etiam ad illud genus, de quo nos agimus. Bernhardius quidem negat apud posteriores poetas tres histriones introductos esse, sed obstat Cyclops Euripidis.

Jam alia oboritur quaestio eaque difficilior, num fabula satyrica vinculo quodam connexa fuerit cum tragoediis. Bernhardius quidem l. l. h. 138 Aeschylum id semper spectavisse dicit, ut aliquo vinculo inter se tragoediae ac fabula satyrica adiecta coniungerentur. Ex eis enim fabulis, unde tragoedias desumpserit, elegisse sibi argumentum ad talem fabulam accomodatum, ita ut pedetentim imago rerum facinorumque spectantium oculis proposita evanesceret. Sic Protea cum Orestia et Sphingem cum septem adversus Thebas cohaerere. Quae ratio num in omnibus tetralogiis Aeschyliis agnoscenda sit nunc ostendi nequit, quoniam pauca earum supersunt vestigia. Sed si quis universam Aeschyli in connectendis tragoediis artem consideraverit, vix dubium ei erit, quin satyricas quoque fabulas, quo coniunctio esset

arsque. perfecta, aliquo vinculo cum tragoediis progressis contineri voluerit. Vocantur autem satyricae hae fabulae: *Κερκίων* (Hesych.) *Κήρυκες* (Poll. X. 68, X. 186; Phot.) *Κίρκη* (Hesych.), Lycurgus (schol. Thesm. 135), *Λέων* (Steph. Byz.), *Προμηθεὺς πυρκαεὺς* (didasc. Pers. cf. fr. 202), Proteus (Arg. Agam.), Sphinx (didasc. Lept. adv. Theb.). Praeterea nonnullae fabulae fuerunt satyricae, quantum intellegi ex nominibus fragmentorumque natura potest. Atque Amymona satyricam fuisse Welck. p. 286 verisillimum esse dicit, neque dubium esse ei potest qui fragm. 13. N. cum eis comparaverit, quae de Amymone cum alii tum Hyginus f. 169 tradiderunt. *Ἀργείους* qui fabulam satyricam esse voluit Boeckhium (Frag. Pr. p. 30) iam Welckerus (Tril. p. 377) et God. Hermannus (op. VII. 201) redarguerunt. Sed Glaucum marinum etiamsi Welck. Tril. p. 471 volt esse tragoediam, nihilominus satyricam fuisse arguunt fragmenta, quod iam dudum demonstravit Hermannus opusc. II. p. 66. Conficit autem rem schol. Theer. IV. 62, ubi leguntur haec: *τοὺς σατύρους ἀκρατεῖς οἱ πλείονες φασίν, ὡς καὶ τοὺς Σειληνοὺς καὶ Πᾶνας, ὡς Αἰσχύλος μὲν ἐν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἀνδρομέδᾳ.* Qua autem in tragoedia potuit satyrorum silenorumque incontinentia describi? Jam vero cum *Γλαῦκος ποτνιεὺς* tragoedia fuerit, sequitur, ut *Γλαῦκος πόντιος* a scholiasta intellectus sit eaque fabula satyrica videatur fuisse.

Θεωροὺς vero fabulam tragoediam fuisse ostendit Welck. p. 131 sq. Praeterea non prorsus idonea causa Schoellius (Tetral. I. p. 8) fabulam quae dicitur *Καλλιστώ*, satyricam fuisse suspicatur, cum argumentum, quod Erathosthenes Catast. I. tradit etiamsi in illa fabula tractatum esse potuit, non cogat de fabula satyrica cogitare. Certe in medio haec fabula videtur relinquenda. Neque Europa sine Cares num satyrica fuerit, pro certo affirmari propter fragmentorum paucitatem potest. Fuerunt qui *Ὀστολόγους* satyricam fa-

bulam fuisse putarent atque ipse Nauckius eam fabulam satyricam habuit. Sed recte Welcker App. p. 332 (cf. 161 et Tril. p. 452) argumentum tam serium esse dicit, ut satyri non possint introducti esse; neque ipsos illos quos Ulixes iusta de causa interfecerit, in ridiculorum (eorumque) hominum periculosumque habendos esse numero, qui satyrorum risum excitarint. Deinde si satyri introducti sint, Ulixem gravitatem suam amittere. Neque obstat fragm. 174. Satyrica autem fabula propter argumenti indolem sine dubio fuit Sisyphus δραπέτης.

Jam vero quaeritur qui factum sit, ut Aeschylus optimus fabularum satyricarum (scriptor) auctor haberetur. Fuit autem haec res necessario cum poetae proprio ingenio coniuncta. Nam illa in dicendo describendoque vis atque novitas qua Aschylus exellebat, quam maxime erat ad fabulam satyricam accommodata. Neque mirandum est, quod is, ad quem iam transibimus, Sophocles, minus est propter fabulas satyricas celebratus. Nam vir tam miti ingenio praeditus magisque ad commovendos aminos quam ad terrendos lascivaque petulantia delectandos natus in tali fabularum genere, quod vim iocosque volgares desiderat, non potuit excellere.

De vita autem Sophoclis nolo hic uberius exponere, quia sunt hae res notissimae. Illud tantummodo lubet exponere, quod de eius fabulis satiricis est dicendum. Atque iam supra adtuli epigramma illud Dioscoridis, A. P. VII. 37, ubi satyrus in tumulo Sophoclis stans aureo ornatu et halurgide se ab illo ornatum esse dicit (v. Wiesel. p. 725 sq.) ubi ceteri quoque qui inde a Jacobsio de hoc epigrammate scripserunt, nominati sunt. Atque recte Wieselerum cogitasse dico de Satyro quodam chori, ad quem solum referri possunt verba εὔθετον ὀρχηστὴν πόδα. Itaque recte quoque eum conlegisse puto a Sophocle si non semper, at nonnunquam satyros chori partibus fungentes elegantioribus

vestimentis ornatos esse. Inde patet a Sophocle quasi urbanos redditos esse satyros, moribus vestibusque elegantiores et humaniores. Sed cum expoliret satyros, fieri non potuit, quin fabularum in aminos spectantium vim valde inminueret. Jam cum ab Aristotele (poet. IV. 16.) tres histriones introduxisse Sophocles dicatur, quaeritur, num ad satyricam quoque fabulam id pertinuerit inventum. Atque iam supra hoc dixi esse perquam verisimile, quamvis Bernh. p. 138 obloqueretur.*) Accedit quod in illa vasis pictura quam Wieselerus explicat et alibi etiam tres conspiciuntur historiones. (Wiesel. p. 590.) Chorum quoque ut in tragoedia, sic in fabula satyrica existimandus est ex 15 personis constare voluisse (v. vitam Soph.). Cum nusquam laudibus efferatur Sophocles propter satyricam poesin, mirum est quod plures eius quam ceterorum poetarum satyricae fabulae laudantur. Sed inde non potest conligi et praestantiores fuisse et clariores eius quam Euripidis fabulas. Nam potest casu tantum factum esse, ut non plures quam octo eiusmodi fabulae Euripideae supersessent posterioribus temporibus.

In numero autem fabularum constituendo, Sophocleas dico, viri docti quam maxime dissentiunt. Casaub. quidem p. 132 decem tantum laudat, Brunckius et Boecklim multo plures fuisse sibi persuaserunt. Horum perversas opiniones et in singulis fabulis iudicandis errores Welk. p. 287 refutare studuit triginta illarum fabularum, de quibus illi cogitaverant, alias revera tragoedias fuisse, alias fabulis satyricis adnumerandas esse ratus. Ipse autem 19 fuisse satyricas suspicatur. Deinde in Frag. gr. p. 72, 18 putat fuisse, eiectis ex eo numero Jambe quae uno loco laudatur eoque corrupto, Iride Sisypho, adiectis Daedalo et *Ζωστῆρσιν*. Deinde p. 73 praeter Momum etiam *Κῶμον* extitisse ait esse verisimile. Atque de 12 multa potest esse dubitatio, cum

*) Sic in Ἀχιλλέως ἐρασταῖς quoque videntur in scaenam prodisse Achilles, Peleus et Phoenix.

ab ipsis veteribus scriptoribus satyricae appellentur; non nominantur Ἑλένης γάμος, Ἔρις, Ἴναχος, Πανδώρα ἢ σφυροκόποι, Ζωστῆρις et Daedalos. Sed priorum quattuor fragmenta aperte ostendunt de satyricis fabulis cogitandum esse. Sed Ζωστῆρες fabula nulla fuit, cum librarii errore ap. Poll. VII. 68 ante Bekkerum pro ἐν ταῖς Σοφοκλέους Κολχίσι legeretur ἐν τ. Σ. Σωστῆρσιν. Daedalum autem recte mihi videtur ad satyricum genus rettulisse (cf. schol. Apoll. Rhod. 4, 1638; schol. Plat. p. 396). Nauckius σύνδειπνον quoque Sophoclis fuisse fabulam satyricam putat idemque iam antea Brunckius, Boeckhius fecerunt nuperque G. Dindorfius corp. poet. scen. ed. V. p. 127, ibidemque Brunckium Boeckhiumque secutus Ἀχαιῶν σύλλογον et Ἀχαιῶν σύνδειπνον diversa esse unius fabulae nomina contendit. Sed hanc opinionem Welck. App. p. 169 sq. conl. 292 et Wagnerus Fragm. trag. graec. I. p. 230 sq. et p. 380 sq. Schoell. Symb. p. 255 refutaverunt. Hae sintne omnes an desint quaedam fabulae satyricae a Sophocle compositae, accurate ostendere nemo potest. Quod si Welckeri de fabulis Sophoclis computatio quam instituit in l. de Frag. Gr. p. 64 sq. recta est estque Sophocles 4 fabulis certasse existimandus, sequitur ut non multa fabularum satyricarum nomina interciderint. Quod autem ad fabularum inter se connexum spectat, per se iam verisimile est cum ne tragoediae quidem illae tres, quae antecedebant inter se connexae fuerint, ne satyricam quidem fabulam cum tragoediis cohaesisse. Atque haec res, si vera est, quam maximi est momenti ad historiam poesis satyricae illustrandam. Nam cum soluta esset trium illarum fabularum et inter se et cum fabula satyrica connexio, intellegitur facillime hanc a vetere more atque natura degenerare potuisse. Ceterum laudanda est varietas argumentorum quae conspicitur in fabulis satyricis Sophoclis. Secutus Sophoclem est Jophon filius, de quo v. Welck. Frag. p. 975. Vel ab ipso Aristophane (Ran. 73 sq.) laudatur; sed ita, ut

Sophocles si non scripsisse, at emendasse filii fabulas dicatur. Unam eius fabulam satyricam Clemens Alexandrinus adfert (Strom. I. 3, 24) *Αὐλωδούς*.

Paullo minor Sophocle fuit Eretriensis ille Achaeus, qui cum Soqhocle et Euripide inde ab olymp. 83 certasse dicitur a Suid v. *Ἀχαιός*. Ante Euripidem Sophoclemque eum mortuum esse Urlichsius inde conlegit, quod in Ranis ab Aristophane non commemoratur (cf. Welck. Frag. p. 958 sq.). Cum Euripide eum comparat, quantum ad artem rationemque fabularum conponendarum attineat, Urlichsius in fragm.; sed in tabulis satyricis Menedemi iudicio omnes praeter Aeschylum poetas superabat. (Diog. L. II. 133). Quem si recte iudicavisse putamus, nescio an recte Casaub. p. 140 dicat: „Achaei vero plerasque fabulas, quarum mentio apud veteres, fuisse satyricas suspicamur." Atque a veteribus scriptoribus hae ei tribuuntur fabulae satyricae: *Αἴδων* (Athen. VI. p. 270 c.) *Ἀλκμαίων* (ibid. p. 173 d.), *Ἥφαιστος* (ibid. XIV. p. 6410), Iris (ib. X. p. 451 c. d.), Linos (ib. XV. p. 44, 8a.), Omphale (ib. p. 466 e., Diog. Laert. II. 17, 133 cet.). Praeterea *Μοῖραι* et *Ἆθλοι* ut conicere licet, fabulae fuerunt satyricae. (Welcker Frag. Gr. p. 960, Friebel p. 20 sq.)

De sermone praetereunda non sunt, quae Athenaeus dicit X. p. 451 c: *Ἀχαιὸς δὲ ὁ Ἐρετριεὺς γλαφυρὸς ὢν ποιητὴς περὶ τὴν σύνθεσιν, ἔσθ' ὅτε καὶ μελαίνει τὴν φράσιν καὶ πολλὰ αἰνιγματωδῶς ἐκφέρει.* Diou. Hal. de compos. verb. c. 22 *γλαφυρὰν καὶ ἀνθηρὰν* eius *σύνθεσιν* laudat. Obscuritatis autem illius exemplum Athen. l. l. adfert ex tride ductum: *Σπαρτιάτην γραπτὸν ἔφη κύρβω ἀντὶ τοῦ Σπαρτιᾶτιν σκυτάλην.* Talia autem vel maxime in fabulis satyricis adhibuisse poetam verisimillimum videtur (cf. Bernhard. l. l. p. 50: Kayser. hist. crit. p. 138 sq.). Atque a vero vix aberraverit, qui propter ipsam illam dicendi ob-

scuritatem cum elegantia coniunctam Achaeum posteriori aetati vehementer probatum esse contendat.

Sequitur is, cuius neque multae fabulae satyricae laudantur, neque laudibus efferuntur, etiamsi in primis fuit poetis tragicis, Euripides. Is vero, semel certe, a tralaticio illo more, quo cum tribus tragoediis una fabula agebatur satyrica, eaque illis fabulis adiecta, ita recessit, ut vel aliam fabulam satyricae loco adiungeret. (V. argum. Alcestidis.) Atque ex hac ipsa re colligi potest satyricam poesim Euripidis aetate aut veterem indolem paene amisisse, aut coepisse civium assensu et approbatione carere. Adferuntur autem praeter Cyclopem satyricae eius fabulae hae: Autolycus, Busiris, Eurystheus, Heracles, Sisyphus, Sciron, Syleus sive Messores (sic Welckerus exponit p. 288; Frag. Gr. p. 444); Heracles fabula dubia, cum alia alius fabulae possit esse inscriptio.

Quarum fabularum, ut ex nominibus earum, quae supra attuli, apparet, plurimae in describendo monstrorum hominumve periculosorum interitu versantur.

Sequitur Jon, de quo cum Welckerus Frag. Gr. p. 938 sq. tum Nieberdingius et Koepkius (singularibus libellis) scripserunt. Fuit autem is et poeta et scriptor clarissimus (cf. Beutleii opusc. p. 495). Natus videtur olymp. 72 anno IV., ut computat Welckerus l. l. p. 940. Ex Aristoph. Avv. 830 sq. Olymp. nonagesima eum mortuum esse intellegitur. Olymp. 87 anno IV cum Euripide et Jophonte infeliciter certavit, ut eo Hippolyti Euripideae argumento intellegitur. Semel eum vicisse tradunt schol. Aristoph. ad l. l. et Suidas s. v. Jon et Athenaeus I. p. 3 sq.; ob eamque victoriam cives vino Chio, non vase, ut quidam viri docti putant, veluti Nicolaius H. l. Gr. p. 89, donasse dicitur (cf. Welcker p. 321).

De arte autem Jonis ingenioque comparandus est locus l. *περὶ ὕψους* c. 33 p. 54 l. 25 Jahn:

Τίδ'; ἐν μέλεσι μᾶλλον ἂν εἶναι Βακχυλίδης ἕλοιο ἢ Πίνδαρος, καὶ ἐν τραγῳδίᾳ Ἴων ὁ Χῖος ἢ νὴ Δία Σοφοκλῆς; ἐπειδὴ οἱ μὲν ἀδιάπτωτοι καὶ ἐν τῷ γλαφυρῷ πάντη κεκαλλιγραφημένοι, ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὅτε μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα, ἢ οὐδεὶς ἂν εὖ φρονῶν ἑνὸς δράματος τοῦ Οἰδίποδος εἰς ταὐτὸ συνθεὶς τὰ Ἴωνος πάντ' ἀτιμήσαιτο ἑξῆς. — Cum in poesi satyrica nullam laudem assecutus sit, Welckerus p. 945 Frag. suspicatur eius ingenium fuisse mitius, quam ut satyrorum iocos potuisse exprimere videatur. Atque hanc etiam in Sophocle agnoscendam esse causam, supra dixi.

Xenocles, Carcini filuis semel vicisse traditur ab Aeliano V. H. II. 8 olymp. 81, tetralogia, cuius satyrica Athamas fuit.

(Welk. p. 1020 sq.). *Δκωδεκαμήκανος* vocatur a schol. Pac. 792 et in Nub. 1260 sq. ab Aristophane inluditur.

Astydamas maior, Morsini filius (v. Suid.) composuisse traditur fabulam (satyricam) *Ἑρμῆς* inscriptam quam Friebelius (p. 75), Welckerus Frag. 1060, alii recte propter fragmenti nominisque naturam satyricam putant fuisse.

Junioris autem Astydamantis *Ἡρακλῆς σατυρικὸς**) commemoratur a Suida s. v.

Junior Astydamas primum vicit ol. 102. anno primo fuitque Aeschyli sororis abnepos (v. Marn Par. 72; Frieb. p. 72) senior autem Astydamas primum fabulas docuit olymp. 95 anno 3, ut refert Diod. XIV. 43. Prior ille quantopere se ipse sit admiratus, intelligitur ex dicto illo (cf. Suid. al.)

Σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας.

---

*) Haec fabula eo digna memoria est, quod ex ea ab Ath. X. 411 a. fragmentum laudatur, quod ne fabulam satyricam quidem ab usu parabasium fuisse alienam ostendit. Cf. Meincke Anal. crit. p. 179.

Chaeremo (Frieb. p. 79 sq. Welck. p. 1082 sq.) in eorum tragicorum fuit numero qui *ἀναγνωστικοὶ* vocabantur Aristot. Phet. III. 12). „Jo“ a Welckero App. p. 228 sq. satyrica habebatur fabula, sed in Tragoed. Gr. p. 1090 sententiam suam mutavit contenditque fabulas satyricas vix ad legendum fuisse compositas. Notat ibidem (p. 1090 adn. 17) Friebelium quod omnia fabularum Chaeremonis fragmenta satyricis fabulis adscripserit. Sed Frieb. cum p. 79 dicat tragoediarum quoque eius reliquias colorem prae se ferre suaviorem, hilariorem, comaediarum lasciviae atque petulantiae accommodatiorem, ipse videtur de singulis fabulis dubitasse eamque ob causam omnes reliquias libro suo inseruisse, non tamen propterea quod ei omnes satyricae esse viderentur. Sed tamen quam supra adtuli causam, qua ductus Welckerus satyricas fabulas a Chaeremone non compositas esse putavit, ea vereor ne nulla sit. Neque vero pro certo affirmari potest quaenam fabulae fuerint satyricae. Atque „Dionysos“, cuius argumentum idem atque Baccharum Euripidis fuisse dicitur, revera videtur tragoedia fuisse (Welck. p. 1090). De Jone nolim discernere, sed tamen *'Οδυσσέα Θερσιχτόνον* propter argumenti naturam satyricam existimo fuisse. Nam Thersitem in numero personarum ridicularum habitum esse scimus. (Frieb. p. 13). De centauro verisimile iudicavit Welkerus p. 1091 sq. (v. adn. 19.)

Timesitheum ex Suida scimus tragoedias (eamque ob causam satyricarum quoque fabularum) composuisse. Recteque Welckerus App. p. 288 et Frag. p. 1047 ex eis quas Suidas adfert fabulis satyricam dicit fuisse *Ζηνὸς γονάς*. Addit Frag. p. 1046 *'Ηρακλέα* quoque satyricam esse potuisse. Potuit sane; fueritne aut quid continuerit, in medio relinquendum est.

Omnes hae fabulae satyricae quarum postremo loco (Jonis et eorum qui secuntur) feci mentionem, quales fuerint, vix potest discerni. Sed iam inde a Sophoclis aetate fabulam

satyricam minore in honore fuisse verisimile est eamque ob rem etiam paulatim a pristina indole degenerasse. Scimus autem ex epigr. Dioscoridis A. P. VII. 707 chorum potissimum recessisse a vetere simplicitate. Neque vero defuit qui pristinam dignitatem redintegrare studeret. Exstitit Sositheus, notissimus ille ex pleiade illa Alexandrina tragicus, de quo v. Suid. ex Diogenis loco (VII. 173 apparet eum in theatro versu quodam in Cleanthem invectum esse; unde sequitur, ut aut comoediam quoque scripserit aut fabulam satyricam a priore more maxime abhorrentem. Scimus enim posteriore aetate fabulas satyricas scriptas esse, in quibus ut in comoedia quidam homines inridebantur.*) Neque obstat Dioscoridis testimonium, qui l. l. v. 5 et 6 sq. dicit a novo more recessisse et ad veterem redisse, nam quae ibi dicuntur, ad chorum tantum eiusque cantum saltationemque pertinent, in quibus multum novatum iam inde ab Euripide videtur. (v. Wieseler p. 622). Extat autem fragmentum unius fabulae satyricae Sosithei, Lityersae, servatum illud ab Anonymo apud Westerm. Mythog. Gr. p. 346. Pertinet autem fabula ad id genus, quo homines perniciosi necantur.

Sequitur Lycophron, de quo v. Frieb. p. 98 sq., Welck. p. 1256 sq. commemoratur satyrica eius fabula Menedemus. Est autem ea duabus de causis memorabilis, tum quia aliena est a pristina indole fabulae satyricae, cum philosophus quidam ut fit in comoedia, inrideatur, tum quod quantum ex paucis reliquiis conicere licet, sermo eius magis quam pro illa aetate expolitus est (cf. Friebel p. 103).

Fabulam satyricam, quae inscribitur *Ἀγήν*, actam illam in castris Alexandri prope Hydaspin flumen qui scripserit, certo definiri nequit. Nam Python Catanaeus an Python Byzantius an vel ipse Alexander composuerit, in medio relinquit Athen. XII p. 595 d. sq. Traducebantur autem ea

---

*) Wagner, Fragm. III. p. 89.

fabula Harpalus et Athenienses, qui cum Glyceram scortum ei misissent, donati ab eo erant. Solam actam eam fuisse verisillimum est (Casaub. p. 151; Friebel 119).

Denique Alexander Aetolus, de quo cf. Welck. Frag. Gr. p. 1263 fabulas satyricas videtur scripsisse; nomina autem fabularum nulla commemorantur. Fragmentorum indolem si consideraveris, satyricae esse potuisse videbuntur Dionysos et Tigon, etiamsi de argumentis ipsis nihil certi scimus et „Tigon“ vix recte se habere potest.

Composuimus h. l. eos poetas scenicos, quos aut scimus aut coniectura assequi possumus in fabulis satyricis componendis versatos esse. Restat, ut quae post Aeschyli, Sophoclis, Euripidis aetatem actae sunt fabulae, solaene an cum tragoediis coniunctae actae sint, exponatur. Quodsi „Agen“ fabula per se sola acta est, non est, cur idem aetate posteriore saepius factum negemus. Addo fuisse, qui ex veterum grammaticorum latinorum locis colligerent vel inter plures tragoedias fabulam satyricam actam esse. Sic Diomedes p. 455 G., 488 P., ubi de fabulis Graecorum satyricis loquitur, inductos esse satyros dicit, ut spectantium animi inter res tragicas seriasque satyrorum iocis delectarentur. Similia dicit Mar. Victor. II. 4, 22, p. 109 sq.; Gr. p. 527 P. Hinc e. g. Casaubonus, alios ut taceam, inter complures tragoedia, interdum actam illam esse coniecit p. 99. Sed mirum est, quod a ceteris scriptoribus nihil tale commemoratur. Deinde aut auctoritatis quidquam illis grammaticis tribuendum, aut ex illis locis necessario concludendum esse quod Casaubonus, alii contenderunt, prorsus nego. Nam si tale quid ex illis verbis sequitur, semper, non interdum tragoediis interiectas esse fabulas satyricas concedendum erit; quod ineptum est. Nec minus inepte quidam ex Suid. verbis v. *καλλίμαχος* —: *σατυρικὰ δράματα, τραγῳδίαι, κωμῳδίαι*, aliis locis, ante tragoedias actas esse fabulas satyricas collegerunt.

Vita.

Ego Robertus Eduardson Meeks natus sum Valparaisone, in urbe Chilenla a Id. Sept. a. MDCCCLII patre Roberto S. Meeks, matre B. F. Antezana de Meeks, quos adhuc viventes veneror. Primis litterarum elementis in ipsa urbe patria imbutus, nonnullas Americae regiones peragravi optimasque illas, quae Eboraci novi (New-York) florent, scholas adii. Cum Londinum profectus linguae Anglicae imprimisque litteris Graecis Latinisque operam dedi veterumque populorum artis ingeniique monumenta in museo illo clarissimo asservata semper sum admiratus. Jnde Lutetiam Parisiorium me contuli, ubi per sex annos praeclara disciplina et institutione virorum clarorum usus sum. Maxime autem desiderio flagrans veterum illorum populorum terras cognoscendi per Italiam, Graeciam aliasque terras, quae antiquis temporibus floruerunt, iter feci. Nunc autem civis sum almae Rhenanae Academiae, quo me contuleram ut ex Germanorum doctrina, quae ubique terrarum celebratur, quaecumque ad ea quae coepissem absolvenda pertinerent, haurirem.

